

## locosa.

cius de domesticarum rerum notione  
im facit.

Euge, dic mihi quid sit frumentum.

Cereale quoddam.

Ad quid cereale huiusmodi maxime  
nus?

Ad panem conficiendum, qui est cibus  
maxime necessarius.

Optime. Et quomodo obtainere panem  
cet?

cius, re mature perpensa:  
er tesseram annonariam!

cauponam.

iae furciferis vobis, qui adventoribus  
olenter illuditis! Dixeris ergo, puer,  
carnis portionem, hoc frustum, imo  
m?

ia, domine mi, fac ardor animi tui  
ut. Si enim parvula portione tam acri-  
enses, ecquid futurum foret si maior  
o esset?

## Aenigmata

I

n facie caream, quaeris cur dicar  
[imago?]

n tua verba sequar, dic, ubi lingua  
[mea est?]

II

culae duae, interrogandi aut dubi-  
ma, clamandi altera, cuiusdam verbi  
a voce interiecta, dant flumen Italiae.  
umen.

gmata in superiore fasciculo pro-  
s respondent: 1] *Gallus*; 2] *Passer*,

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

IAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Ann. V.

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

**Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:**

*Alba* (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

## NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Januarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exterios numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

A

Pretium an  
march.  
FORNA

Quam  
ipsi  
nus

Nihil p  
quibus lati  
cordi est,  
nis XIII la  
rant, quod

Postqu  
oblitii s

Nam li  
munificent  
silio, ut st  
vehernet, ad  
eius sacra  
misit, non c  
homines sc  
dicantes, q  
iudicium v  
volitantium  
parcentium  
accipere no  
convicia Sa  
ride *L'Osse*  
quanta utili  
a sapientiss  
copiosa et d

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xylina structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI **De poëtis et numeris latinis**. – Lib. 1.

. 75.000.000

opris aedibus  
rcello)

## s civitates:

zzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in ondovi (cum off. in opp. Carrù), Monto, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona, Viterbo.

## S ET NEGOTIA.

accipit: a) iuxta quotidianas litate quotidie exigendi usque in quatuor, lib. 50.000; pro utationibus pariter quotidianis, ex; 4 1/2 %, si mensium duo, cum facultate quotidie defe- De maiore vero summa man- usque ad lib. 5000; ad dies

s compensat duarum person- olvendas; idque pro omnibus d formam, iuxta italicam legem requirentibus subvenit; c) in aesidio fundorum publicorum, d) litteras emitit ex credito ma aguntur; e) exterios num- custodiam accipit, pro iisque riae sunt.

## E,, Sociis

scripta venum dantur,

prandium, Milesiae ile agendis. - Singulae

i flores. - Si tegu- coque titulo, lib. 2,25.

um, Actiones drama-

ilesia fabula. - Lib. 1.

. - Lib. 1.

Ann. V.

Romae, Idibus Maiis MCMXVIII

Fasc. V.

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

## Quam sit dolendum quod ipsis in Seminariis latinus sermo consenuerit.

Nihil porro mirum si omnes homines, quibus latinus sermo concinnus et elegans cordi est, mortem Summi Pontificis Leonis XIII lacrymis prosequentes, idem referant, quod notissimi illi versus:

*Postquam est is orculo traditus thesauro,  
obliti sunt Romai loquier lingua' latina'.*

Nam litteratissimus ille Princeps ac munificentissimus, quum eo sapienti consilio, ut studia litterarum in clericis provehheret, ad Lucidum M. Parochium, vice eius sacra in Urbe fungentem, epistolam misit, non defuerunt barbati illi et palliati homines scientiae patrimonium sibi vindicantes, qui quasi de curulibus sellis in iudicium vocare et in diariorum paginis volitantium nullis iniuriis erroribusque parcentium, illud Leonis consilium, verbis accipere non clementibus ausi sint. Quae convicia Salvator Talamus in ephemericide *L'Osservatore Romano*, demonstrans quanta utilitate, munificentia et consilio id a sapientissimo Principe provisum fuerit, copiosa et diserta oratione retudit. Fece-

rint illi sane nulla invidia, fecerint equidem nulla improbitate; at omnino moleste fecerunt et petulanter, qui haud scio an non institutum tam liberale, tam frugiferum cognoverint satis, et quorsus dirigen- dum et quemadmodum conficiendum.

Sed, proh dolor! cura, pæne dixerim, nostra factum est, ut tanti Pontificis institutum e vivis electum fuerit atque dele- tum. Quam rem plerique spectantes viribus animisque defecerunt, quum Pontificis beneficentiam, quam inimici ab incunabulis frustra delere conati sunt, a nostris ipsis viderunt radicitus eversam.

Evidem non est inficiandum vitia ea- que gravia in illam irrepisse, sed ut in rebus omnibus, vitia corrigi possunt, et debuerint. Ego vero totam hanc provin- ciam neque possum neque volo sumere per partes ornandam; tantum libet ad loca quaedam orationem contrahere. Hoc mihi bene et praecclare factum censeo, quum de benignitate Pontificis Maximi munus ha- buerim impositum, quintus iam annus est, ut electos Ecclesiae alumnos in Pontificio Seminario Romano Maiore ad cognitionem excolerem usumque latinae orationis. Pericula, ut vera proloquar, a tyronibus cursus philosophici in publicis lyceis, Deo favente, cum laude constanter superata, bene de iis adulescentulis sperare iubent,

sed ipsa spes infructuosa defluit, quia philosophicum curriculum demensi, ex eo tempore nil prorsus de latino sermone attingent, illo tantum incompto sermone excepto, qui in philosophicis ac theologicis doctrinis tradendis invaluit. Unde factum est ut eo ipso tempore quo matrum ingenium ubiores fructus portendit, radicibus ipsis solo avulis, tenella planta inculta atque obsoleta contabescat.

\*\*

Bonarum artium domicilium Italiam, eamdemque carminis cantusque sedem, omnibus praecipuo amore cultaque subsequentibus, credo interdum fuisse dolendum, poëticae facultatis patrimonium, doctorum incuria, in contemptionem venisse. Quis enim versibus dictandis animum adicit? Iam nullos habemus Musarum cientes, ac si in vivis adhuc foret doctissimus ille ac disertissimus vir Petrus Angelinus, perperam fecisse reputaret, si orationem « de cultu Musarum » ad alumnos Seminarii Romani iterum habere voluisse. Vir eximius anno MDCCCLXXXV querebatur his verbis: « Invita Minerva ita ludunt (nonnulli), ut rideantur a peritis, vel secunda, tam prave utuntur, ut pios honestosque viros paene litterarum pudeat ». Nostra aetate Musarum cultus male mulcatus, indignam contumeliam tulit: neglectae atque despactae pridem secesserunt in Heliconem iam latinae Camoenae.

Vix esse quempiam opinor, qui cum doctissimo Io. B. Vico non sentiat, primaevum carminis genus religiosum fuisse, primumque hominem et sacerdotii et carminis extitisse parentem; sed de nostra aetate studiisque in nostris scholis quid est dicendum? « In clericorum ore carmina desiisse ».

Sed minus dolendum si tamen soluta oratio melius se se haberet. Iam vero litteras Quiritium, quippe quae per longa

temporum intervalla a quotidiano usu desierint, vix dici oportet nulla ratione alia coli et percipi posse, nisi ex monumentis litteratis scriptisque libris. Ut vero Vincentius Tarozzius facunde monuit in oratione « De litteris latinis » ad auditores instituti Leoniani, nunc vero demortui, alii ad eos libros adeunt, unde, tamquam e sinceris fontibus, res civiles et bellicas illarum gentium cognoscant, leges, mores, instituta explorent, cultus atque humanitatis progressus persequantur: quibus in rebus quum toti sint, nihil curant praeterea.

Sunt alii qui in descripta veterum exemplaria, per aetatum tenebras casusque multiplices vix salva, aciem oculorum et mentis intendant, homines notitia abundantes cum sermonum tum temporum et rerum quae quemque scriptorem attingant: hi autem eo referunt studia sua ut ipsis codices exutiant, conferant simul, recognoscant, corruptos restituant, difficilliores intellectu explanent. Id quidem *criticam* appellant; sed fatendum dolendumque eam criticam fines nonnunquam excessisse suos, eamque ipsam tantis nominibus e Germanis populis ad nos invectam, a doctoribus invocatam, summis laudibus honestatam, nunc vero, o rerum hominumque mutationes! maledictam, exprobratam, electam. Huius criticae gratia saepe optimorum industria, quae latina exemplaria nocturna diurnaque manu versabat, durius habita est, sed incommoda quae viri prudentissimi pridem deprehenderunt et arguerunt, ab adversariis iisdem quos Germanicum bellum sanos fecit, nunc incusantur veluti causae Latinae scriptioris neglectae. Sed non minus dolendum est, quod virus in eruditione latens mentes quoque prudentissimorum hominum invaserit, atque in nostris scholis honor et gratia illa romani sermonis in dies inculta consenserint.

Me, ut scio, salse rident nonnulli, quasi hominem tardigradum, laudatorem perti-

nacem temporis acti Naevii, qui nondum animadverterim linguam latinam iamdiu desuevisse et ad usum vitae communem nullam esse. Ipsi enim consonant secreto cum iis, qui libere profitentur operam subinanem insumere ac *pro mortuis* adlaborare<sup>1</sup> qui conantur illorum hominum Bembi, Sadoleti ac non minus decenter nostra aetate, Leonis XIII, Mauri Ricci, Angelini, Volpinii, Pellegrinii species et exempla revocare. Si vero qui latinis litteris vacant pro mortuis adlaborant, quid esset dicendum de cura qua monumenta iamdudum diruta tanto impedio nunc eruuntur, lustrantur, tam caute ac religiose ab ipsis populi senatusque auctoritate custodiuntur?

Ea ipsa templa, fora, aquarum ductus, nigri lapides, Romuli vel Evandri casa nonne sunt omnia demortua? Si tamen de mutis lapidibus tanta insumenda est cura, nescio cur tali ac tanto despectui ea ipsa lingua ipsis populi habeatur, qui dignissima ac pervetusta monumenta protulerit. Maiores nostri minus fortasse lapidum, sed eo magis patrimonium sermonis quo dignius, cordi habuerunt, idque tanta assidue ac diligentia; nec, puto, eos inconsiderate egisse.

Qui vero negligendae latinitatis causam tuentur, ad illum locum eumque obsoletum configiunt: « maiora esse quae premunt, et ad latinam orationem tantum suffecisse quod e lycei scholis habetur; nec ad disciplinas theologicas quoque et iuridicas plurimum contulisse, si tulliano vel castrensi sermone discipuli usi sint ». Non ita maiores nostri! Ipsi immo perspectum et exploratum fuit quam multum gravitatis in animos adolescentium leviores influeret, quanta dignitas quantusque splendor adiceretur et ad omnem scientiam, ad theologicas et iuridicas doctrinas praeser-

tim, si lingua maiorum magnifica suavisimma efferrentur. Praedicetur sane eruditio, pleno ore praedicetur; at istius census nonne facultate latine scribendi augeatur cumulateque ornatur?

Etenim qui modo et ratione scribere velit, necesse est ei curricula mentis reffere ad instituta et ingenia veterum Romanorum, atque ipsorum res veluti novatas revehere: quae demum studia quum doctrinam attingant, velim scire quidnam sit causae, cur oblivione et caeno obrui debeat. Ad rem Tarozzius<sup>1</sup>: « Sin autem haec ipsa bona ac talia plura ab impolitis hominibus nihili habeantur, et aliqua danda sit venia, ut iam nunc litterarum latinorum cultio et disciplina eruditione continetur, nihil scriptio, per me detur ea quidem licet, sed iis cupientibus detur, qui extra ordinem sint clericorum: clericos enim, opibus eruditionis haudquaquam neglectis, debere omnes stilum pro tempore et re, emendate tractare... hoc ego pugnacissime tueor, atque ita persuasum habeo causam ipsam Ecclesiae tueri ». In quo me confirmat magna rei praestantia, quam pluribus commemorare minus attinet, moventque crebriora in dies exempla iuventutis ad orationem latinam prope inexeritatae et imperitae, ita ut Leonis Pontificis pervagatam querelam: « Laudem illam latine cum dignitate et venustate scribendi passim consensuisse videri »,<sup>2</sup> eventus confirmaverit.

Hac nostra aetate, tantum proh! degeneramus a patribus nostris, ut nimium de iis adolescentibus conquerendum sit « qui saepenumero ad sacras disciplinas tanquam ad sacram silvam, seu verius dicam, ad saltum decurrentes, nullis exculti litteris nullaque doctrina, non intelligere magis aut cogitare posse videntur, quam

<sup>1</sup> VINCENTIUS TAROZZIUS, *De litteris latinis...* Bononiae, MDCCCLXXXVII.

<sup>2</sup> Vide supra, in allata epistola ad Parochium.

vegetare.<sup>1</sup> At philosophiae nec non theologiae fato optime fore consultum putant si eae latine tradantur. Cur ergo non etiam latine mathesis, cur non physice, cur non historia naturalis? Ac saepenumero videre est quasi circulum vitiosum, quod hinc a doctoribus philosophis adfirmetur, auditores suos minus expedite dissere quod falso latinitatis magisterio usi fuerint; hinc a magistris latinitatis comploretur philosophiae causa barbara lingua traditae, labores suos industriamque irritam reddi.

Ceterum praesens studiorum ratio atque conditio haec debet, ut cultus omnis humanitatis poscatur, ut interiores et reconditae litterae artesque colantur; qua de re non tantum ad latine scribendum formari debent adulescentes, sed ad intelligendum quoque et iudicandum. Quare illud in clericis erudiendis proponi debet, ut probatissimos scriptores probe calleant alumni eorumque artificio mirabili teneantur, quid ipsi voluerint, quid senserint, quam a nobis seiuncti, quam nostri dissimiles mente res percepient ac verbis expresserint assidua commentatione assequantur. Iam vero ab his studiis distat toto caelo latinitatis illud genus, quo in philosophicis ac theologicis scholis doctores et alumni utuntur. Quin etiam hac nostra tam culta aetate illud quoque indignum vidi mus: philosophiae ac theologiae tractatus vernacula oratione conscriptos, ut tyrones iam nunc latini sermonis paene ignari, philosophicis ac theologicis sententiis facilius imbuerentur. Haec tandem ultima ratio, si latini sermonis nostri adulescentes adeo sunt hospites!

Qua tamen ratione viaque, quid de latino sermone sperare licebit?

Sed Catholicae Ecclesiae maxime interest ut sermo latinus in ore clericorum

<sup>1</sup> Vide FERDINANDI PELLEGRINI, *Praefationem ad orationem P. Angelini « De philosophiae usu ... »*, Romae, Filiziani, 1894.

non consernescat; nec puto quemquam esse qui haereat dubius quanto in periculo res nostra versetur, quum iam magistri ipsi despiciant perfectius ac limatus eo uti. Leo rectissime, quemadmodum ceteris disciplinis, sic litteris prospexit consuluitque tales ut essent, minime arrogantes et futilis, e quibus ornamenta bona et utilitates Ecclesiae efflorescerent. Verum tam sanctum, tam providens ac paternum consilium, tanta beneficentia quo effluxerunt? De iis omnibus non consernentibus, sed iam demortuis nil exstat praeter desiderium.

Exsurgat tandem piissimus Ultor, qui Leonis vestigia sectatus, morbo ingravescenti remedia praebeat, latinumque sermonem concinnum ac decorum e sepulcro, divina quadam auctoritate usus, ad vitam eamque gloriosam revocet. Ipse unus auctoritatem habet instrumentaque omnia; ager praesto est, agricolae acerbe ferunt desidiam, nec fructus uberrimi defuerint, si consilio et opera, damno in dies grascanti Ipse unus, summus Agricola et Pastor, obviam ierit. Vosque adulescentuli sacrae militiae adscripti, cum iis conferri dignemini, qui ferme nullam de latino sermone in se gratiam habere laudi dicunt: prout estis aetate confirmati et doctrinis exculti, duo documenta iampridem comperta vobis ex magistris dicendi a me habetote quae, spero, vel maxime proderunt: alterum ut lectioni optimorum, alterum ut scriptioni latinae magis magis assuescatis.

Tali modo ager iam mollitus et subactus melius uberiorque semen excipiet; hoc enim est quod providentia Summi Pontificis Benedicti XV Restitutoris, brevi ad futurum speravimus.

ALEXANDER AURELI.

Gravi ponderis animadversionibus, quas egregius litterarum latinarum in Pontificio Seminario Romano magister superius

exposuit, liceat nobis peculiari ratione as sentiri; quibus in suscipienda hac *Almae Romae* editione non ultimum fuit nec praetermissum propositum, apud tyrones sacris initiatos latinitatis cultui deficientes vires restituere. Ne enim litterarum verba repetamus, quibus tum illustrissimos atque reverendissimos viros ad favendum operi nostro invitabamus, tum specimina commentarii vix editi commendabamus, iuverit ea iterum proferre quae, primo lectores alloquentes, ediximus: « Latet neminem - scribebamus - nostris potissimum diebus latinitatem, pestifero veluti sidere afflatam, pauperiem pati, demissoque capite, ob hominum praevertit ignaviam, vel potius iniuriam, incedere. Dolendum magis nobis videbatur apud hanc ipsam Urbem, gentium olim perpetuoque regnam, omniumque artium atque sapientiae magistrum ..... hospitem plane linguam esse, qua eius cives tot gentes domuerunt imperioque obtainere consueverunt; qua per universum orbem Christi Ecclesia etiam nunc utitur incessabili vinculo religionis ». Haec quidem verba ex intimo ipsorum sensu percepta ne sunt ab iis, quorum maxime erat debitum? - Ab iudiciis abstinemus, habita quoque ex infelicium temporum adiunctis ratione; id tantum sufficiat per Aurelianum scriptum, quod fausto omne quattuor ad amussim post annos apparuit, ex quo primus *Almae Romae* fasciculus evulgabatur, alte confirmare facem a nobis accensam, nedium extinctam aut languescentem, supra modum semper inexhausta et clarissima luce fulgere!

ALMA ROMA.

*Nunquam est patientiae virtus in prosperitate. Ille autem vere patiens est, qui et adversis contetur, et tamen a spei sua rectitudine non curvatur.*

S. GREGORIUS, *Moral.*, XI.

## DE FESTO PENTECOSTES DEQUE EIUS CONGRUENTIA CUM NOVO CODICE IURIS CANONICI

Codex Iuris Canonici feliciter expletus, a SS. D. N. Benedicto PP. XV, superiore anno in festo Pentecostes, edita Constitutione *Providentissima Mater Ecclesia*, promulgatus est. Attamen noluit Pontifex vim obligandi ei statim tribuere, sed fere post annum. Statuit enim: « Ut autem omnes, ad quos pertinet, probe perspecta habere possint huius Codicis praescripta antequam ad effectum adducantur, edicimus ac iubemus ut ea vim obligandi habere non incipient, nisi a die Pentecostes anni proxime venturi, id est a die decima nona mensis Maii anni millesimi nongentesimi duodecimensesimi ».

Quam merito promulgatio Codicis Iuris Canonici facta fuerit, et initium obligationis eius affixa et statuta ad festum Pentecostes, ex Veteris et Novi Testamenti historia facile patet. Siquidem in Pentecostes festo Hebraei commemorabant Legem a Deo per Moysen Israëlitico populo datam,<sup>1</sup> et Lex evangelica fuit in festo Pentecostes a Principe Apostolorum promulgata. Quin etiam hoc anno astronomiae diei cursus quasi idem accidit, ut in Pentecoste prima Christianorum, scilicet cum sola differentia quatuor dierum. Ut enim et a SS. Patribus et ab historicis refertur,<sup>2</sup> tunc Pa-

<sup>1</sup> Legem autem a Deo Moysi traditam habes in cap. XX *Exodi*. In Lib. *Levitici* vero, cap. XXIII, inter Hebraeorum festa a Deo praecripta, v. XV legitur: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulisti manipulum primitiarum [i. e. Paschatis festo], septem hebdomadas plenas; usque ad alteram diem explectionis hebdomadae septimae, id est quinquaginta dies [unde nomen PENTECOSTES]; et sic offeretis Sacrificium novum Domino.*

<sup>2</sup> Tertullianus, in opere *Contra Iudeos*, cap. VIII, ita scribit de Iesu Christi morte: « ...Quae passio per-

scha, seu Dominica Resurrectionis D. N. I. C., fuit sexto Kalendas Aprilis; hoc anno pridie Kalendas eiusdem mensis intercidit; Dominica die autem non Sabbato Pentecostes prima Christianorum occurrit. Quod probatur ex hoc, quod, quem Iudei Pascha celebrassent, ex mandato divino (*Levit.*, XXIII, 5) *mense primo, quartadecima die mensis*, dies XIV mensis Nisan, seu primi, quo anno Christus mortuus est, Sabbatum fuit. Numerando autem quinquaginta dies a postridie Paschatis Iudeorum, quae fuit dominica dies, etiam dominica die Pentecostes festum illo anno accidere necesse fuit.<sup>1</sup>

Quamvis antiqui Iudei festum Pentecostes, sine relatione ad Legem in Sinai monte datam, iuxta nonnullos historicos,<sup>2</sup> celebrarent et vocarent *festum hebdomadarum et messis initii*; tamen Iudei recentiores minime dubitant historicum sensum eidem festo tribuere cum relatione ad Legem in monte Sinai. Verum enim vero SS. Patres de celebratione festi Pentecostes apud Hebraeos, cum relatione ad Legem datam in Sinai monte, pro certo habent, teste BENEDICTO PP. XIV, in op. *De Festis*, lib. I, cap. XI, n. 10, ubi scribit: « Secunda quaestio est, quid apud nos sit

«fecta est die VIII Kal. April. die primo azymorum quo agnum ut occiderent ad vesperam, a Moyse fuerat imperatum». Concordat Hilar. Diacon. sub Liber. Rom. Pont., in *Quaest. in vet. et nov. Testam.*

<sup>1</sup> «Verum quum hoc anno [mortis D. N. I. C.] die sequenti Paschatis esset Sabbatum, quo falcem in messem mittere vetitum esset (speciali enim lege [*Exod.*, XXXIV] die sabbati metere prohibitum erat, sicut nec quae ad cibum pertinerent ea die parare licet) manipulum hoc anno constat oblatum fuisse ipsa die Dominica, quo Dominus resurrexit, cuius ipse elevatus manipulus figuram exprimebat: id Epiphanius (*In Panar. haer.*, LI) et alii testantur. Sic igitur ab eo tempore quinquaginta dies numerando usque ad diem Pentecostes, Spiritum Sanctum datum esse ipso die Dominico certum est». BARON, *Ad Ann. XXXIV.*

<sup>2</sup> ARBARBANEL, *In Leg.*, f. 202; VIGOUROUX, *Diction. de la Bible*, v. Pentecôte, col. 122.

festivitas Pentecostes. Inter utramque Pentecostes, nostram scilicet et Iudeorum, analogiam quandam intercedere docet Isidorus (lib. 1, *de Officiis Ecclesiast.*, cap. XXXII): *Concordat autem haec festivitas Evangelii cum festivitate Legis.* Postquam enim Iudei, sacrificato agno, celebraverant Pascha, quinquaginta diebus iam elapsis, vetus lex, digito Dei scripta, Moysi est tradita: in nova autem lege, quinquaginta itidem diebus post Pascha celebratum in mortis Iesu Christi memoriam, qui tamquam immaculatus Agnus ad sacrificium ductus est, celebratur adventus Spiritus Sancti, qui Dei digitus appellari solet.... Huc accedit, quod in veteri lege, quando vox Dei audita est atque Lex Moysi fuit tradita, celebrari coeptum est Pentecostes festum: et in Lege nova idem festum institutum est post adventum Spiritus Sancti... Et S. LEÔ (*Sermo LXXXIII de Pentec.*, I, cap. I): «Sicut enim Hebraeo quandam populo ab Aegyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem Agni, Lex data est in monte Sina; ita post Passionem Domini, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo a Resurrectionis ipsius die in Apostolos, plebemque credentium Spiritus Sanctus illapsus est, ut facile diligens Christianus agnoscat, initia veteris Testamenti Evangelicis ministrasse principiis, et ab eodem Spiritu conditum Foedus secundum a quo primum fuerat constitutum».

Itaque dubitare non licet quod et Hebraeorum gens Pentecostes festum celebraverit in Legis memoriam. Ita et Christianorum Pentecostes est quidem memoria adventus Spiritus Sancti modo visibili seu specie ignis super B. Mariam Virginem, super Apostolos ceterosque discipulos Christi in coenaculo congregatos; sed est et memoria promulgationis Legis evangelicae a Beato Petro primo Papa factae. Legitur enim in *Actibus. Apost.* cap. II, vv. 14 sqq.: «Stans autem Petrus cum undecim,

levavit vocem suam et locutus est eis, etc.». Et merito Petrus primus omnium locutus est «quasi Primas Apostolorum caputque Ecclesiae. Unde ipse solus pro omnibus loquitur, et prodigii rationem reddit, ac legem *Evangelicam solemniter promulgat*. In Pentecoste a Petro, quasi Christi Vicario, fieri debuit haec prima et solemnis in Sion legis Christi promulgatio, qua abrogata est lex vetus, ita ut deinceps obligare desierit, ut docet D. Thomas, et Theologi passim». <sup>1</sup>

Memorari convenit quod Deus, post datam per seipsum oretenus populo Hebraeorum in Sina Legem, in sex sequentibus diebus Moysi alia praecepta dedit populo tradenda, in Legis explicationem. Statuit quoque Deus leges observandas in iudiciis (*Exod.*, cap. XXI, XXII, XXIII), circa sacrificia offerenda et constructionem Tabernaculi et Altaris et sacerdotii ac Pontificiae dignitatis institutionem et consecrationem (ib., cap. XXIV sqq.). Et habens secum in monte Moysen quadraginta dies, fecit Deus magnificas promissiones in bonum populi; sed eodem tempore populus Deo ingratus fecit sibi idolum, vitulum aureum, quem adoravit. Unde iratus Dominus populum exterminasset, nisi, Moyse orante, placatus fuisset; populus vero poenitentiam egit de peccato suo et veniam obtinuit, nec promissis Domini privatus fuit. Et haec quidem in Pentecoste et post Pentecosten Iudeorum.

In Pentecoste nostra, quando scilicet Spiritus Sanctus datus est Apostolis et discipulis cum Maria Matre Iesu orantibus, prodigia insignia evenerunt. Ex dono Spiritus Sancti, seu proprie tertiae SS. Trinitatis personae, physice in forma igneae linguae, Apostoli acceperunt et donum linguarum totius orbis,<sup>2</sup> nec tantum, sed uno sermone quem loquebantur, audientes

diversarum linguarum dicta intelligebant. Item prodigia et miracula edebant Apostoli et ad primam Petri concionem tria hominum millia ad Fidem catholicam conversi sunt. Ast Petrus Iudeos, qui audiebant, de Iesu Christi nece palam incusavit et affirmans Eius resurrectionem divina virtute factam: «... per manus iniquorum afflentes interemistis, Quem Deus suscitavit, a mortuis» (*Act.*, cap. II, 36 sq.).

Itaque Iudei, auditio Petri sermone, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis, enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt quoscumque advo- caverit Dominus Deus noster. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens: «Salvamini a generatione ista prava» (*Act.*, ib., 37-40). Scriptura Sacra, ibi, concludit quam hilares essent primi christiani, Apostoli monita exsequentes, ita ut sumerent «cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem...». Nec satis. Quia paucos post dies, quem Apostoli iussi a Synagoga fuissent nusquam loqui in nomine Iesu, ipsi id facere non posse responderunt, dixeruntque: «Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui». <sup>1</sup> Iam credentium numerus creverat ad octo millia, et de eis dicit Scriptura<sup>2</sup> quod erant *cor unum et anima una*, «quia per charitatem perfectam, pariter perfectam habebant inter se amicitiam... quia Dei voluntatem cognoscere et implere satagebant... quia omnes

<sup>1</sup> A LAPIDE, *Comment. in h. l.*

<sup>2</sup> S. AMBRO., *Epist. XXXIII.*

uni Petro tamquam suo Patri et Pastori Ecclesiae, plane et plene obediebant». <sup>1</sup>

O utinam in hoc nostro Pentecostes festo Christianorum multitudo per orbem dispersa fide, charitate, obedientia Romano Pontifici imitentur primorum Christianorum multitudinem, et Codicis Iuris Canonici initialis vis afferat ubicumque terrarum hoc sanctum bonum, caritatem, obedientiam, pacem! Hoc SS. D. N. Benedictus XV, in sua prima encyclica,<sup>2</sup> deesse dicebat: « Sublata igitur aut debilitata illa dupli coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorundem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur, VV. FF., hanc hominum societatem dispertitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue digladiantur? ». Et si in societatem universam christiana caritas et obedientia induci obtinebitur, ita ut, poenitentiam agentes, populi ad Deum revertantur, certo certius primae Pentecostes effectus habebitur, quia ut idem SS. D. N. Benedictus XV in Allocutione, quam habuit in pervigilio Solemnitatis Domini Nostri Iesu Christi superioris anni ad Patres Purpuratos, pax non dabitur, nisi populi ad Deum revertantur.<sup>3</sup>

Et ita eveniat, faxitque Deus!

#### I. FAMELI.

<sup>1</sup> A LAPIDE, *Commenti in h. l.*

<sup>2</sup> Ad Beatissimi Apostolorum Principis, d. d. 1 Nov. MCMXIV.

<sup>3</sup> «...Noi non ci limitiamo a riconoscere l'affermata importanza [per Eñum Card. Decanum] del ritorno a Dio, ma col più acceso voto del cuore affrettiamo l'ora di questo salutare ritorno della società contemporanea alla scuola del Vangelo. Quando i ciechi avranno visto e i sordi avranno udito; quando ogni deviazione sarà raddrizzata ed ogni asprezza appianata, quando, in una parola, l'uomo e la società saranno tornati a Dio, allora — e solo allora — vedrà ogni carne la salvezza di Dio, VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI, e al povero e al dolorante sarà annunciata questa buona novella, LA PACE».

#### III NONAS MAIAS MDCCCXXI<sup>1</sup>

Vixit. Iacentis corpus ut immemor  
Motus quievit, redditio anhelitu,  
Sic nuncio percussa magno  
Haeret hians stupefacta tellus  
Muta, et supremum dum reputat viri  
Fatalis horam, nescit ubi suus  
Adhuc cruentus pulvis ullo  
Inde pari pede proteratur.  
Illum refulgentem mea viderat  
Musa, et silebat; quae simul abnuit,  
Cum lapsus, insurgensque, victus,  
Jungere se numero canentum.  
Servaeque laudis, vilis et abstinet  
Proibri. Ruente hoc sidere protinus  
Commota surgens ad sepulcrum  
Carmina et haud moritura cantat.  
Moles ad altas Memphis ab Alpibus,  
A Rheno Iberi ad littora bellici  
Virpotentis pone fulmen  
Acrior eveniebat ictus,  
Ingente late qui crepuit sono  
De rupe Scyllaea ad Tanais plagas,  
Aurorae ubi alvo Phoebus exit  
Et cubat hesperio cubili.  
Istaec ne verax gloria? Posteris  
Sententia anceps; subdere nos decet  
Virtuti et Illius volentis  
Figere signa in eum ampliora.  
Ingentis ausus turbida gaudia  
Et acriorem forte cupidinem  
Regni tenacem, cuius una  
Spes animi foret insolentis,

Expertus ille est; splendidius decus,  
Pulsis periclis, sceptraque, vinclaque  
Palmam, et fugam, bis squallet atro  
Pulvere, bis tulit aerae honores.  
Nomenque adeptus; saecla duo aemula  
Instructa ferro subdita subiacent,  
Et regibus iussit silere,  
Arbiter et medio sedebat.  
Hic iam recessit, clausit et otio  
Dies remotos orbis in angulo  
Invitus, et fletus, perennis  
Signum odii, indomitique amoris.  
Ut unda fervet vertice naufragi  
Atque urget illum, qua super arduus  
Intentus incassum remotas,  
Heu miserum! modo spectat oras,  
Sic fluxa rerum copia fervidam  
Mentem gravavit. Facta nepotibus  
Quam saepe denarrare tentat,  
Fessa manus cecidit papyris!  
Quam saepe segnis dum caderet dies,  
Torvus retortis luminibus solo,  
Ad pectus et cunctis lacertis  
Facta retro rapuere mentem!  
Tunc et revolvens castra vagantia,  
Urbesque victas, sceptraque subdita  
Undamque equorum et concitatum  
Imperium, obsequiumque velox.  
Fortasse tanta pressus imagine  
Defecit expes spiritus anxius,  
Statim sed illum ad puriores  
Dextra potens superegit auras;  
Clemensque summi duxit ad aetheris  
Calles beatos, omnia praemium  
Quo vota vincit, quo et profundis  
Gloria lapsa silet tenebris.  
Assueta palmis, nescia funeris,  
Hanc adde multis, alma Fides, quoque;  
Elatior nam nulla cervix  
Se Crucis opprobrio subegit.  
Tuque omne fessis proice ab ossibus  
Verbum malignum: qui premit et levat,  
Qui angit, et lenit, relicto  
Accubuit Dominus grabato.

JOSEPHUS TORALDO.

#### DE "XYLOLINO",

Ad IOSFOR, virum clarissimum.

Lepido illo atque gratissimo more tuo de chartaceis vestibus in ALMA ROMA nostra tu es nuper loquutus:<sup>1</sup> nescio tamen an cognoveris quid chartaceae vestis vulgari nomine proprie intelligi debeat; non enim nostris hisce temporibus et belli causa hominum industria iter ingressa est varia conficiendi et usui commoda ac non magni pretii chartacea textilia; sed iam pridem prospere illud tentaverat, nec pro vestibus tantum, sed pro sexcentis aliis rebus vitae communibus, ab eleganti tapeto ad rudiiora texta et humilia.

Huiusmodi inventum ex « chartae filo » nuncupatum est; rectius vero ex « ligni filo » dixeris, quinimo, e graeca fonte vocabulo deducto, utque passim quoque audiit, « xylolinum ». Res enim vere est de stamineis venis cellulosis, per aptas machinas in opportunas fasciolas conversis.

Potiusquam ad panni renixum - (elasticitatem hodie vulgo appellamus) - per textilia haec ad soliditatem item ac flexibilitatem artifices intenderunt cum vilitate pretii. Re quidem vera, crescentibus in dies industriae atque commercii his necessitatibus xylolinum respondere optime apparuit; quin imo bene quoque eluitur, nec facile pessum datur.

Periculo primum varia fortuna in Americae aliisque regionibus facto, perfectio nem magnam iam ante bellum in Germania xylolinum erat assequutum, ubi centesimus nonaginta quinque libellae partibus (80 pfennigs) chilogramma xylolini unum emere licebat; quem gossypium ter maiori pretio stareret.

Textrino cuique xylolini sunt centum circiter fusi; fusorum autem duo millia sufficiunt, ut sex chilogrammatum millia chartaceae huius texturee quotidie ordinantur; quam ad pannos non modo et linteas quaevis, sed etiam ad tentoria, tapetes,

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii, pag. 48.

sacos, uti diximus, et ad ipsos petasos conficiendos convenire repertum est. Permixtum insuper xylolinum fuit cum textili illo, quod *juta* vulgo appellant, ad saccos praecipue struendos; qui quidem hanc etiam utilitatem praebent, ut, quem odore quovis careant, idonei maxime evadant ad aromaticas conservandas res, vel quae odore facile imbui possint; quales kaffea, saccharum, sal, etc.

Quid denique de xylolini hygienicis notis? Si parumper consideraveris hygienis magistros omnes in tutamentum salutis praecipere, ut consuetudinem nobis faciamus induendi vestes, quae vix levissimam commutationem sinant inter toxicas corporis manationes et aërem externum, facile tibi erit persuasum, xylolinum satis valetudini servandae sufficere.

Quibus positis, nihil mirum si legimus Teutones inopia rerum, sumptuumque in parsimoniam, chartaceas vestes, hoc est xylolineas, civibus suis commendare; quibus vero nos, qui xylolini fabricarum sumus expertes, uti nequibimus.

Hisce tamen ad genuinum rerum sensum explicandum adnotatis, libenter addam, de iis quae, inde sumpto argumento, in impudentem tristium horum dierum luxum et effrenam licentiam obiurgabas, me tibi omnino assentiri. Vale.

A. FULCONIS.

## HYGIENICÆ NOTAE

### Quomodo et quamdiu est dormiendum.

Ecce iterum me ad vos, spectatissimi auditores, qui valetudinis ergo, frequentes consulturi venistis. Laetor quod tanti estis, meamque doctrinam, praeter opinionem, aequi bonique facitis.

Vos ergo postulatis?

— Ut nobis paucissimis dicas quomodo et quamdiu sit dormiendum.

— Alii vero vos praeoccupaverunt, et verbis et litteris a me enixe potissimum quaerunt, ut, ceteris posthabitis, illos soler, qui insomnes omnino integras noctes agunt, et velint nolint, gravi fastidio nunquam quiescere possunt. Hi perperam « Urunt lethaeo perfusa papavera somno » et dolentes quaeritant, ut eos moneam quibusnam rationibus liceat breviter aliquando sibi somnum conciliare. Scio enim, quem haud sim huiusce mali ignarus, quod taedii passim ipsum generat, quot saepe animi corporisque aegritudines congerat hoc unum vitium.

Placet?

Ergo incipiam. Recentiores medici, omnes ad unum, sine intermissione inculcant modo oppium...

— Morphinam!

— Codeinam!

— Denique Clo, clo...

— Optime dicis: chloralum!

Omnia haec remedia, quae saepe pereram recipiuntur, eo modo contendunt, ut nervorum irritamina cohibeant, non vero ut, exacto malo, somni quietem conferant.

Sed fortunati veteres, qui facile omnino, ut perhibent historiae, omnes commode et ubique quiescebant; namque ipso huic morbi vocabulo carent! Ac propterea nos etiam atque etiam nepotes in primis hor tamur, ut patrum vestigia secuti, in opera admodum incumbant, duriterque vitam agant, atque ita hora quietis placidissime eos occupabit!

Ut enim agricolas monet Vergilius: « Exercete, viri, tauros, serite hordea campis », vos amicos meos monitos velim ut maxime adlaboretis. Ad haec, religiosorum hominum quietem respicere vos velim, qui antiquitus in desertis locis vel humi distenti; et multis post annis, vel inter magnarum urbium frequentiam, interrupto noctis sopore ad devote orandum apud Deum assurgebant. Hi enim, omnis sceleris puri, quum dies diebus adlaborantes

sererent, vix in cellam ingressi cum somno improbo pressi, in utrumque oculum ac profundissime conquiescere con siveverant.

Hoc primum *recipe*, nec sane improbandum, omniumque praestantissimum omnes esse reputabimus.

Ehus, tu, qui nimio huiusce morbi vitio laboras, hoc accipe remedium per quam maxime probatum, et efficax bonum habebis. Ac propterea, et isto saeculo pervicaci atque incredulo, dicere haud desinam: Ad Deum, naturae auctorem, in primis confuge. Et mater mihi puerulo dicere solebat: Quum aliquando diu in lectulo obdormire nequeo, accipio sacram Virginis Rosarium, et precor, eique rem meam fidentissime remitto. Haud ita multo post, vel inter orandum

*Blanda quies victis furtim subrepit ocellis!*

Utinam et vos experiamini! Tunc vobis metipsis utique medebimini.

\* \*

Hisce positis ad remedia venio, quae, natura magistra, medici passim aegrotis suadere solent.

Adest in primis medicus Anglus, qui omnium adprobatisimum suadet. Accipe mantilium aqua medium aspersum, eoque occipitem perfrica atque aures, et cura ut omnem sic spinam etiam atque etiam linas. Idque semel atque iterum renova. Quid enim commodius? Quid quoque plenius et melius? Et beneficium promptum est; quia nervi placantur, caput refrigerescit, et somnus festinus reddit, quem, nec adhibitis validissimis somniferis, plerumque obtinere potuisses.

Alii vobis acrius commandant ne, quem quiescitis, caput sit corpore inferius; namque ita, ne quid accidat peius, somnus brevis erit atque interruptus. Adeo multum est inter dormiendum corpus optime componere!

Si sanguine abundans es, eo gravior est atque opportunior corporis habitus.

Si, e contra, caput tenes nimis elatum, sanguis haud satis ad cerebrum effluit, atque ita somnus inquietus est et commotus et surgens mane te ipsum languidiorem senties et minime pacatum atque recreatum. Insuper caput sit plus minusve quattuor pollices altius quam corpus. Pulvinar quoque cura ne sit nimis molle; caput enim si altius immittis, sudore madidum, grave dat dentibus incommodum et corpori molestas perfricationes ingerit. Cavete, ne infantes puerique, inter dormiendum, caput minus alte quam senes teneant.

Haec aliaque id genus medici saepe praescripserunt, ut suam homines valetudinem recipient... et praesertim dulcem sibi procurent soporem. Ut vero superius monui:

*Longe mea discrepat istis  
et vox et ratio;*

quemadmodum alias, ne longior nimis hodie evadam, latius explicabo.

Fr. ANACESI.

## PRO IUNIORIBUS

### De urbanis moribus.<sup>1</sup>

Abhorrendum item est a iociis in gravibus rebus, multoque magis in turpibus, ne inhonesta pro nugis habere videamur.

Sales minus venusti et arguti nullum obiectamentum, imo maximum taedium auditoribus pariunt; qui si rideant, non salem sed conditorem rident.

Sales igitur rudiores homines et forte etiam acutiores dedecent; quare prudentiores, ingenii

<sup>1</sup> Cfr. fasc. III.

periculo semel et iterum facto, si invitam Minervam sentiant, abstinent. Quod si complurium consuetudinem spectaveris, facile noveris, non omnibus, sed peritis tantummodo iocari licere. Atque nonnullos videas argutiam affectantes, in singula verba stultissime iocari.

Sales in se habent quod ipsos statim prodat gratos ingratosve; quapropter vix errare potes, nisi tuus te amor obcoecet. Nam ioci festivitatem excipit laetitia et risus: quare si ioci tui haud excipientur adstantium risu, illico a iocando abstineas; culpa enim tua, non adstantium erit.

Neque ut risum elicias verba usurpabis vel gestus humiles aut indecentes, os torquendo, te deformando; nemo enim debet, ut alios oblectetur, se ipse deprimere; quod quidem scurrae, non ingenui hominis est. Ioci liberales et lepore adspersi iocantis sagacitatem et mores produnt, quod maxime placet hominibus, et eorum benevolentiam conciliat; illiberales vero stupidum arguunt; asinum enim iocantem dixeris.

Aliud est genus facetiarum, non dicterii, sed perpetuo constans sermone. Qui adeo concinnus esse debet, ut ad verum exprimat eorum habitum et mores, de quibus loquaris; ut quae narras audientes non auribus, sed oculis usurpare quodammodo sibi videantur. Quod ut assequaris, oportet ut admodum in promptu habeas rem, seu fictam seu veram, quam narrandam suscipias, atque adeo verba, ut passim non sit tibi dicendum: « Illa res – Ille nescio quis – Illud... quomodo vocatur? – Dicentis memoriae succurrite... ».

Quod si factum narrabis, in quo multae personae intersint, haud dices: « Ille dixit » et « Ille respondit »; nam « ille » omnes aequa indicat; quare audientes saepe in errore versantur.

Ad haec, cavendum est, ne illa dicas, quae omissa aequa aut forte magis delectabilem narrationem faciant.

« Ille quidam corpore vitiosus et animo, vultu et corde ater; medici filius, cuius scientia peste infestior fuit; cui avunculus erat sa-

cerdos, idemque, veteri more bubulus et pastor... ». Si forte quod de isto narras, alii accidisset, minuta haec rerum adiuncta inutilia prorsus essent, imo festinantibus in factum ad audiendum molesta.

Neque si exterus civis sermonem nostrum nesciat, non ideo a linguae nostrae proprietate discedere debemus cum illo colloquentes, uti nonnulli solent, qui putidius eius lingua uti volunt, quocum loquuntur.

Alienam igitur linguam usurpemus, si quando necessitas id postulet, scilicet ut intelligamus; sed plerumque loquamur nostram, licet non valde bonam, potiusquam alienam non optime. Aptius enim utitur ex. gr. Insuber sua lingua, ceteroqui deformi, quam Etrusca; nulla enim is unquam diligentia huiuscemus linguae vim ac proprietatem, uti Etruscus, assequetur.

Ad haec, fugienda sunt viro ingenuo verba minus honesta; honestas autem verborum aut in eorum sono consistit, aut significatione. Sunt enim nomina quae nullam in se obscenitatem habent, quorum tamen sonus quidam in honesti ingerit.

Cavendum autem est non solum ab in honestis verbis, sed etiam humilibus, praesertim ubi de re sublimi ac nobili sermo est.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Certamen immane, quod Teutones in Gallos pariter et Anglos ad occidentem recens intulerunt, perdurat adhuc tanta hominum internecione, quantam nemo antea mente concipere valuerit. Ad exitum properare studens, ut Samarobrivam (*Amiens*) urbem in suam ditionem redderet, Ludendorfius, Germanorum dux, impetum quatuor ex partibus renovavit, Moreuil scili-

cet oppidi ad meridiem; inter meridiem et orientem solem per Avre et Summam flumina; inter orientem et arcton ad Alberti urbem; ad septem denique triones Doulenium versus. Ecce vero intervenit tertium Gallorum agmen, atque Anglofrancorum coagmentatio, nedum frangatur, firmior evadit. Tunc maximus hostium conatus iterum Atrebatum versus diverterit; hinc autem inter Noiovum et Lasigny; sed incassum. Quod si hic illuc ultra procedere per breve territorii spatium Germanis licet, haud certe huiusmodi progressus amissos latissime milites rependere valent. Sequitur nonnullorum diarium intervallum; deinde offensio instauratur formidabilis, et producitur Ypres versus; ubi Kemmel mons, post aceriman dimicationem, in invadentium manus cecidit, pariterque Locre oppidum; quod tamen, dum scribimus, Galli a se recuperatum nunciant.

Interim Angli audax quidem facinus in mari operantur; Ostendae nemque et Zeebrugge alveos, quamquam validissime munitos, hostium navibus paene omnino, neque cum magna suorum caede, obstruunt.

\* \* \*

In Russia, maxima ex turba maxima que ex rerum omnium confusione quae permanet adhuc, nec proxime defutura videtur, lucrum sibi in dies comparare Teutones pergunt. Palam enim rerum publicarum curatoribus (o quam ineptis!) protestati sunt sese, nedum a regionibus ante pacem occupatis, ne a locis quidem post ictam pacem invasis recessuros, ac praesertim a Motuleff, Nawa, Bkon. Quod dum optimi illi « bolscevikii » verbis, quorum unice sibi copiam fecere, detestantur, Kazan provincia et ipsa sui iuris sese praedicat, Petropolisque urbs in arma iterum consurgit, detrectatum iam imperium, protuli dictitant, invocans; sunt vero qui affir-

ment sub hac specie interpositam fuisse a Germanis novam causam ut, quietis scilicet restituendae nomine, etiam hanc urbem occupent.

\* \* \*

**Rumeniae pacis foedus**, quod in superiori fasciculo nunciavimus, est subscriptum. Licet eius capita nondum cognita satis fuerint, certum est Rumeniae derelinquendam esse Dobrugiam provinciam in Bulgariae utilitatem; eique fortasse Bessarabia tribuetur, Ukrainae novae civitati iam legitime concessa. Quid enim nunc foedera? Profecto chartae frusta!

Kalendis Maiis MCMXVIII.

POPULICOLA.

## SCRIPTURAE DIURNAE SPICILEGIUM

I.

### De bello quod sub fluctibus geritur.

Circa argumentum hoc VIDI navarchus, in ephemerede Parisiensi *La Croix*, sic prope modum disseruit:

Subnatantes circiter naves ducentae, quinquagenas aut sexagenas singulis mensibus naves, millia scilicet cuparum ducena quinquagena, nostris populisque neutri parti in hoc bello faventibus pessum dant, quae annue sunt tricies. Ipsis autem, plurimum duobus millibus et seminum omnium vigilias agentium, a deletrici ad retiariam navem, frustrandi venatus, et quem in conspectu pervenerunt praedae: plenae scilicet milite actuariae, aut subeuntis onerariae populorum exercituumque commeatus; notum enim sibi, naves, praeter « neutrás », esse omnes fere armatas.

Nec id satis. Cuiusque enim modi eis retia cavenda sunt: prohibitoria, venatoria, exploratoria; praeterea est per loca cuniculis consita eundum; navigantibus

et submersis instat suimet in vadum disruptio; denique, praeter subnatantes inimicas naves, sublimes, summique, et profundi hostes adversantur... Hisce licet cunctis scopolis, tricies cuparum centena millia pergunt in anno deprimere, nec aliud est in eam calamitatem inventum, quam, praecipuum et supremum remedium, construenda cuparum duplex atque damnosa. ratio: quasi marcum pilum conterendam in nucem adhibere.

Illae autem, ut clades veras atque insanablia suffodiant mala, ideo consequuntur, quod terribilia, praesertim Septentrionum in maribus, usurpant commoda.

Hoc primum omnium, quod navis quaeque cum periscopum vidisset, hostilis fiat; cui iam non arbitrium, nec sit agenda inquisitio: "Video te, ergo te deprime",

Deinde... apud «neutros» et eorumdem nisi proditorum opera, apud nostrates, Germani indiciorum administrationem hac arte instituerant, que re exploratoria peritorum digna sit admiratione. Aequem mirus commeatus, quum neutris insint hostilibusque oris latebrae, ubi naphtam et ad suum negotium necessaria invenit sub fluctibus se occultans navigator, ne ea annumerentur, quae advehi, statuto die ac loco, subnatantibus possint mercatoris - *Deutschland* ad instar - et neutrius partis navigio.

Subnatantes novae ab octingentis cupis ad mille et ducentas admodum, in summa plerumque aqua euntes, nec se, nisi detectas credant, demittentes, suis nautis vendi dant potestatem, quae minutis belli incipientis defuit formis. Hibernico mari, ubi plures quam alibi naves deprimuntur, considere potest in fundo subnatans naves, opaco maris tuta velo, illusa per longas horas scrutatione, iamque non rarum perhibent videri subnatantes excursionem suam plures in hebdomadas producere. Maxime autem periculosum eis tempus est in suos carceres redeundi, quos tamen, a littore Batavorum usque ad Danos, velut inexpugnabiles arbitrantur hucusque Britanni. Quam equidem, haud nescio non esse Dagoni praetoris sententiam, sed summus

hic non est toti Britannico maritimo officio praepositus. Bestia quum in suo latibulo non potest interfici, eo res devenit, ut omnem ultra veri similitudinem, verorum angeatur venatorum numerus. Retiaria quum tardior habeatur, torpedinarias co-nantur multiplicare, quas mox denas singulis aiunt subnatantibus fore. Et indagaciones perficiunt artificiosas, quibus subnatantem reperiant... Evidem semper effectum inquirunt esse, ut «contra-telum» cuilibet opponeretur telo. Sit sane! Verum oportet ut ante belli finem id contratulum operetur. Unum est nunc subsidium: aedicare!... Naves! semper naves! onerarias et torpedinarias!

## II.

### Pondus navium mensibus XIV amissarum.<sup>1</sup>

Subsequens publica ratio de mensurae<sup>2</sup> navalis amplioris detimento editur, Britannici nempe Sociique non hostilis mercatorii navigii, manu hostium aut maritimis periculis, anno superiore, et prioribus duobus huius anni mensibus.

Mense Ianuario anni millesimi nongentesimi septimi decimi, Britanni centum nonaginta tria millia et quadraginta quinque cupas amittunt, Socii autem eorum, gentesque neutri parti faventes ducenta sedecim millia septingentas octoginta septem, quae consummatae: quadringenta novem millia sunt octingentae triginta duae.

Februario, Britanni trecenta quadraginta tria millia, quadringentas octoginta sex cupas amisere; Socii et neutri ducenta unum et triginta millia trecentas septuaginta, quae quingenta septuaginta quatuor millia, octingentas quinquaginta sex in totum efficiunt.

<sup>1</sup> Ex Americano diurno commentario *The New York Herald*.

<sup>2</sup> Cuparum duea sunt rationes: amplior (*gross tonnage*) pondus navis oneratae, altera oneris tantum numerat.

Martio, Britanni trecenta septuaginta quinque millia trecenta novem, Socii et neutri ducenta quinquaginta novem millia trecentas septuaginta sex: ad summam, sexcenta triginta quatuor millia sexcenta octoginta quinque.

Primo igitur quadrante anni millesimi nongentesimi septimi decimi, amiserunt Britanni noningenta undecim millia octingentas quadraginta cupas; Socii et neutri septingenta septem millia quingentas triginta tres: ad summam sedecies centena undeviginti millia trecentas septuaginta tres.

Aprilis, Britanni 555,036; Socii et neutri 338,871: summa, 893,907.

Maio, Britanni 374,419; Socii et neutri, 255,917: summa, 630,336.

Iunio, Britanni 432,595; Socii et neutri 280,326: summa 712,921.

Secundo anni quadrante, Britanni terdecies centena unum et sexaginta millia octingentas septuaginta; Socii neutrique octingenta septuaginta quinque millia sexaginta quatuor: in totum vices bis centena triginta sex millia noningentas triginta quatuor.

Iulio, Britanni 383,430; Socii neutrique 192,519: summa 575,949.

Augusto, Britanni 360,296; Socii neutrique 189,067: summa 549,363.

Septembri. Britanni 209,212; Socii neutrique 159,949: summa 369,161.

Tertio quadrante, Britanni 952,938; Socii neutrique 541,535: ad summam quaterdecies centena nonaginta quatuor millia quadragintae septuaginta tres cupae amissae.

Octobri, Britanni 289,973; Socii neutrique 197,364: summa 487,337.

Novembri, Britanni 196,560; Socii neutrique 136,883: summa 333,443.

Decembri, Britanni 296,356; Socii neutrique 155,707: summa 452,063.

Quarto quadrante, Britanni 782,889; Socii neutrique 489,954: summa 1,272,843.

Mense Ianuario anni 1918: Britanni 204,562; Socii et neutri 133,779: summa 338,341.

Februario, Britanni 254,303; Socii et neutri 128,872: summa 383,175.

Numeri qui sequuntur pondus referunt navium a quingenis cupis et supra, Regni Consociati intrantium portus exeuntiumque, oraria exclusa navigatione et freti Gallici commeatu:

Octobri, 1917: sexages novies centena octo millia centum octoginta novem; Novembri, 1917: sexages quinques decem et octo millia quingentae sexaginta quatuor; Decembri, 1917: sexages sexies sexaginta quinque millia quadrangentae tredecim; Ianuario, 1918: sexages tricies triginta sex millia sexcentae sexaginta tres; Februario: sexages tricies viginti duo millia noningentae quinque.

Tales rationes singulis mensibus venturis edentur.

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

## VACUI TEMPORIS HORA

Redeo hodie *ad tesseras*; sive quia emendatum errorem volo, quo typographicae nostrae officinae πρῶτος me donavit, graecam vocem τέσσαρες in τέτταρες convertens; sive quod inde sumam aliquam animi recreationem, dum corporis cibum per tessera sumere cogor. Scilicet a tesseras faciam dgressum ut **de nonnullis ludorum generibus** scribam. Dixi enim de tessera lusoria: addam eam quoque vocitare **talum**, sive per diminutionem **taxillum**; sed perperam.

Re quidem vera, *talus* est ossis genus, quod in articulis pedum dumtaxat posteriorum eminet, concava in vertebra suffraginum, quae eadem sunt in posterioribus animalium pedibus atque genua in prioribus: ligatur solidis nervis; forma paene quadratum et parte altera concavum, altera aliquantulum curvum; estque animalibus bisulcis, hoc est bobus, ovibus, capris, damis et reliquis; praeterea nonnullis aliis solidas ungulas aut digitos habentibus.

Hoc igitur genere ossiculi, sic veteres ludabant: Latus quod unicum numerum notabat, *Canis* aut *Canicula* appellabatur: si quis iactando Caniculam vertisset, is nummum unum deponebat, vel quantum inter ludentes convenisset. Contra, in altero latere, *Venus*, sive *Cous* dicebatur, septenarium numerum significans. Is qui eum numerum iactando talos reddidisset, sex lucrabatur et quidquid etiam ex iactu Caniculae depositum esset. Duo alia latera *Chius* et *Senio* nominabantur, et ille ternarium, hic quaternarium significabat; quippe in talis neque binarius, neque quinarius erat numerus. Igitur qui Chium iactabat, tres nummos; qui Senionem, quattuor lucrabatur; qui propterea dexter nuncupabatur.

Plautus alium talorum ludendi modum refert, per *Vulturias* nempe et *Herculem basileum*:

*Talos poscit sibi in manum; provocat me ad aleam  
Facit Vulturios quattuor;  
Talos arripio, Herculem iacto basilicum.*

Ita apud nos etiam sexcentae sunt rationes ludendi ad aleam: est enim *alea* omnis ferme ludus, qui in varietate fortunae consistit, ut sunt tesserae cum primis, et notissimae illae *chartae lusoriae*, cum quibus si te valde nimis delectabis, maxime semper... omnium egebis.

Sed ut ad talos revertamur, nescio an hic ludus, per regulas saltem quas descripsimus, late adhuc vigeat. Polydorus Vergilius, a quo hasce notas hodie passim deprompsi, affirmavit se in Flandria vidiisse mulieres talis ludentes, « quae multos habebant vario colore pictos, vel ex ebore factos, quemadmodum veteres praeter naturales talos, ex alia materia factis usos esse memoriae proditum est ».

De origine denique ludi idem auctor declarat sese non habere quicquam certi tradere, rationem vero ipsius ludi videri significare Romanum esse inventum; cognitum tamen fuisse et apud Graecos nomine *ἀστράγαλος*: siquidem Euripides talorum numerum usque ad quattuor auxisse feratur.

\* \*

At ipsum scriptorem doctissimum ad amusim audiamus ulterius loquentem:

Alia quoque – sic ille – fuerunt apud antiquos ludorum genera, quibus etiam nunc utimur, auctoris tamen minime proditis, ut illud **par impar** ludere; quum quis nummos manu occultat, petitque ab altero par ne an **impar** eorum numerus sit... Item aliud **digidis sortiri**; quod fit, quum duo, clavis manibus, vocando certum numerum, subinde digitos porrigunt. Verbi causa, ego tres digitos explico, tu totidem; ipse quatuor nomino, tu vero sex: ita tu, qui numerum vocando divinasti, iam vicisti. Et quia digitus ita explicati subito apparent, idcirco per metaphoram **micare** dicitur... Italis ludus notus est, vulgoque *la mora* appellant, quia μωρῶν, id est stultorum ludus, quod digitorum iactatio signum sit levitatis: ideo – monet – virum gravem micare non decet.

\* \*

Est vel aliud ludi genus, quo **calculis** in tabula lusoria, id est fritillis et alveolis, luditur; inventum olim a quodam viro sapiente, nomine Xerse, qui ita tyranni saevitiam coercere metu, eumque documento monere volens, ostendit maiestatem sine viribus hominumque adminiculis parum admodum valere atque tutam esse, quando per istiusmodi ludum satis patebat regem facile oppressum iri, nisi invigilaret, a suisque defendetur. Vocant hodie hosce calculos, seu scrupos furunculosve, quibus proeliando ludimus (est enim certamen instar proelii) *schacos*, forsitan dictos quod calculi, quum moventur, in alteram adversariam partem scandere videantur. Sit haec an alia vulgaris nominis origo, ludus tam omnibus notus est, ut satis de eo habuisse mihi videar dictum; imo de omnibus hodie; tempusque esse igitur claudendi rivos, ne... *calculus ad incitas redigatur!*

## Locosa.

I

*Tuccius sapientiae suae quotidie pericula facit.*

**MAGISTER.** – Eia, age: Heliogabalus, nomen ne est commune?

**TUCCIU.S.** – Minime gentium.

**MAGISTER.** – Optime quidem: videris ad amussim intellexisse, quod maxima qua possem diligentia explicavi. Atque Maria igitur...

**TUCCIU.S.** – Vae! Maria est nomen communissimum!

II

**MAGISTER** Tuccio ipsi:

— Quot latera sunt triangulo?

— Tria.

— Bene. Et rectangulo?

— Quattuor.

— Oh! mathesim saltem calluisti. Perge: Triangulo-rectangulo?

— Papae! Tria et quattuor... Septem!

\* \*

## Aenigmata

I

Cellula parva iacet splendens candore nivali,

Hunc aditum praebet ianua nulla tibi.

Nulla fenestra patet, teres atque rotunda vi-

[detur:

Marmoreo cincta est aggere tota domus.  
Attamen et virum quiddam generatur in illa,

Cui verum corpus redditur atque caro.

Provenit et quaestus multis uberrimus inde

Hinc quoque non pauci quo satientur ha-

[bent.

II

Hoc est quod voluit; quod est nunc esse re-

[cusat:

Est non est, quod cauda trahit, sed sen-

[tiet illud.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Echo*; 2] *An-i-o*).

JOSFOR.

## MONITA

I

*Cum hoc mensis Maii fasciculo plurium Sociorum annua explicit subnotatio. Dum pro certo habemus, neminem fore quin eam renovet expresse vel tacite – (consociatio enim non detectata pro continuata habetur) – illos iterum iterumque efflagitamus, qui nondum rationes suas nobiscum aequaverint, ne remorentur ulterius.*

*Amicis praeterea commendamus, velint labori nostro socios novos comparare. His extraordinariam subnotationem offerimus, quam ex speciminis gratia dicemus, libell. 4 in Italia; libell. 5 (franc. 5, doll. 1, shill. 4, peset. 5) apud exteris gentes; eritque a die subscriptionis ad mensem Decembrem MCMXVIII inclusive.*

*Eia igitur, conatibus nostris, alto consilio respondentibus, favete!*

II

*Causarum quadam serie haud nobis, sed singularibus temporum difficultatibus imputanda, effectum est ut nonnulli mens. Martii et Aprilis fasciculi ad exteris Socios missi, nobis, his diebus, redditi a publico cursu fuerint. Rebus cum hoc explanatis atque compositis, missum statim renovavimus, ac speramus fore ut remoram unice nos queri cum illis Sociis debeamus. Quod si tamen quis unum vel alterum fasciculum non habuerit, repeatat a nobis, qui ei tertio morem gerere studebimus.*

4)

# AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

## SCENA IV.

IOANNES BOSCO et AMBROSIUS.

AMBR.<sup>1</sup> Veni, domum fausto pede introgre-  
[dere....  
Nobisque laeta profer fausta a Domino.  
Es expectatus.... Te Rector vult ac-  
[cipi  
Vel inter liminum libenter ostium....  
IOANNES. Et ipse Rector, suum per incom-  
[modum,  
Adestne, quaeso, dic; foret ne tibi  
[grave?  
Mone Rectorem. Manebo dum re-  
[deas.  
AMBR. Decor qui vultus, caeli verecundia!  
Ut verba longe sererem cupidius!<sup>2</sup>

## SCENA V.

IOANNES solus.

Huc me, Deus, manu duxisti commoda,  
Paterna potius, spiritu dulcedinis,  
Istos ut filios ad rectum tramitem,  
A quo fuerunt abrepti, reducerem?  
Te pluries mane rogavi, vespere,  
Dares, sublati ceteris, ut animas,  
In primis semper adulescentiae.  
In ipsa positae cordis deliciae,  
Et labores tolero, molestias,  
Et opus omne durius nil aestimo,  
Modo sit ipsis utile iuvenibus.  
Hac nocte somnium somniavi denuo  
Adesse serpentes, leones, aspides,  
Luposque vulpes callide sermonibus....  
Eis at sum vix allocutus admodum,  
Et omnes mirum commutantur bestiae:  
Leones, aspides, vulpes et ipsi lupi

In agnos omnes convertuntur placidos,  
Meoque pectori sermones conferunt,  
Mitescunt, plangunt, contremiscunt, lacrimant,  
Petuntque admissis suis indulgentiam.  
Stupescit caelum, pingitur per aërem  
Signum perlucidum divini foederis,  
Dum circa auditur dulcis vox in auribus:  
« Ibi dabo tibi corda conquirere,  
Placare monstra, debellare Satanam,  
Easque ad portus animas deducere.... ».  
Hic ergo feriam magnum adversarium,  
Daboque inferias grandi pro victoria?  
Deus, sint tibi gratiae per quam maximae,  
Mearum tibi victoriarum sociae,  
Virgo potens armis, potens consilio,  
Voco quam merito cunctis Auxilium!

## SCENA VI.

IOANNES et RECTOR.

RECT.<sup>1</sup> Tun' es sacerdos ille tot virtutibus,  
Clarus in urbe, delicium iuvenum?  
IOANNES. Sum! et laetus quod Collegium vi-  
[sitem,  
Cui tu merito praeses iure tamdiu!  
RECT. Collegium dicas? Furum custodiam,  
Furciferum carcerem, latronum potius!  
Quot quot sunt taedium, labor paren-  
[tibus,  
Et otiosi, turpes iam flagitiis,  
Et grassatores pessumi et sicarii,  
Id aetatis pueri, senes sed vitiis:  
Hoc est Collegium nostra sub custo-  
[dia!  
(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

<sup>1</sup> Introgrediens festivus.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

<sup>1</sup> Est obvius Ioanni hilari vultu, tenens pileum manu et multis cum corporis reverentiis.

<sup>2</sup> Haec profert inter se; deinde exit.

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS M